



## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Variis Generibvs, Cavsis, Atqve Exitv Perseqvvtionvm,  
Qvas pij hoc in mundo peregrinantes patiuntur**

**Lens, Jean de**

**Lovanii, 1578**

Iam inde ab initio sanctos persequutionem pati solitos. Cap. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30324**

# DE VARIIS GE- NERIBVS, CAVSIS,

ATQVE EXITV PERSEQVVTIO-

num; quas pij patiuntur in hoc  
mundo peregrinantes

LIBER VNVS.

Iam inde ab initio sanctos persequacio-  
nem pati solitos esse.

CAPUT I.



VOD ait S. Apostolus, Omnes qui piē  
viuere in Christo Iesu volunt, perse-  
quutionem patientur, mirari video so-  
lere nonnullos, vererique ne piorum ē  
numero ipsi exclusi sint, quia nulla sibi  
persecutione premi videantur. Sed ut  
hi quodverissimè dictum ēsse, propter  
summam authoritatem afferentis, credunt, etiam intelli-  
gant, verissimumque ēsse ex ipso quoque ratione perspi-  
ciant; id hoc opere, si possumus, efficere studeamus. Res  
noua non est, sed quae ab ipsis humani generis cœpit initijs,  
ut boni, & iusti, ac verae Religionis cultores, per pres-  
suras, & iniurias, grauēisque ac multiformes infestationum  
poenas, angusti itineris difficultate gradiantur. Sic enim  
in ipsa mundi statim origine Abel iustus, à fratre primus  
occiditur. Thare domus patris Abram, ob veri Dei cul-  
tum premitur à Chaldaeis; Iacob fugatur, Ioseph vñenun-  
datur, & Daudem misericordem Saul rex crudelis perse-  
quitur. Heliam maiestatem Dei constanter ac fortiter asse-  
rentem, Rex Achab conatur opprimere. Et ille tamen in  
fuga iuaduinitus alitur, volucribusque cibam ministranti-  
bus, in persecuzione nutritur. Daniel in laculeonum in-  
cluditur regis iussu, & tamen inter feras esurientes & par-  
centes homo Dei pascitur. Vnde perspici potest, quām sit  
humanæ malitiæ detestanda crudelitas, Ferae parcunt, aues  
pascunt: homines insidiantur & sœuiunt. Zacharias sacerdos  
interficitur inter templum & altare, vt illuc hostia ipse fiat,

*2. Timoth. 3o*

*August. lib.*

*16. de ciuitate*

*cap. 13. &c.*

*Judith cap. 5o*

*2. Para. 24.*

A

vbi

## DE VARIIS PIORVM

**Hiers. 10.** vbi Deo hostias immolabat. Hieremias cum spiritu Domini vaticinatur tristia , à Phassur sacerdote percutitur, atque etiam in neruum coniicitur . Quid commemorem tot iustorum saepe celebrata martyria ? tot edita in posterum fidei & virtutis exempla ? Tres pueri Ananias, Azarias, Mizacl aetate impares, dilectione concordes, fide stabiles, virtute constantes, ob unius Dei confessionem in ardentem coniecti fornacem , flammis tamen , ac penitentibus, superiores evasere . Alij, inquit Apostolus, ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, tentati sunt, feciti sunt; in occasione gladii mortui sunt, circuerunt in melotis , & in pellibus caprinis, egentes, angustati, afficti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terra . Venio ad Christi Ecclesiam . Quos non persequitionum turbines perpessi sunt Apostoli ? Quot millia constantissimorum confessorum persequuntio ? quot millia fortissimorum martyrum gladius tyranni saeuentis illustravit ? Consimilia sic esse capiti membra oportebat, vt quoniam ille vix natus , vidente persequitione , fuga sibi consulere coactus, deinde contumelijs atque iniurijs grauibus, & tormentis maximis , ad probrosissimam usque mortem perductus est ; in eiusmodi persequitionis agone, fierent ei Christiani conformes , si vellent glorie eius effici particeps . Postea quam igitur toleratae persequitionis abundans exemplis, ipsam rei huius rationem contemplemur .

*Qui fiat, ut semper mali persequantur bonos.*

## C A P V T I I .

**Iean. 15 6**



Criptum in Euangelio sic est : Si de mundo fuissetis , mundus quod suum erat, diligeret : quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus . Ideoque si me persequuti sunt, inquit , & vos persequentur . Magnum piorum hominum solatium video in hac esse ratione constitutum . De medio enim electos in mundo, & à perditorum universitate discretos, morum dissilitudo intusos reddit: hoc etenim oderunt illi, quod esse nolunt, atq; ex eius rei, quam vehementer improbant odio , fremunt premuntque persequendo . Habere iniquitas non potest cum iustitia pacem , tempe-